

054

052

058

048

063

043

103

003

153

39

homines superbi et passionatissimi; ideo divina dispositione
actum esse credo, ut separarentur a nobis, et galēa sic repur-
garetur. Vix enim cum eis venissemus in Ierusalem sine
sanguinis effusione et aliquorum occisione. Mansimus autem
per unam noctem in Corcyra, dormientes in navi. Porro
eadem nocte valde perterriti fuimus. Nam cum iam tenebrae
essent in sero, et adhuc in colloquio juxta malum staremus,
deprehendimus unam alienam barcam galēae nostrae adhaerere,
in qua erant turci, exploratores, et cupientes audire colloquia
nostra. Statim autem ad lapides cucurrimus, post fugientes
jactantes. Barca vero prolapsa in mari altum repente petuit,
et evasit. Mane autem facto insonuerunt tubicines nostri
baccini, sive trumpetae, insinuantes recessum instare, et
soluta galēa cum laetitia et cantu portui dorsum vertimus. Et
stabant peregrini remanentes, nosque deridebant, dicentes:
nos esse homines desperatos, et Wagheſs. Commune enim
verbum fuit in Corcyra, quod antequam Metonam veniremus,
capti essemus. Sic ergo nos ab aspectu Corcyrae sublati
sumus, et cum gaudio et timore (15 A) processimus.

Porro illi XL peregrini, qui remanserant Corcyri, con-
ducta navi reversi sunt Venetias, quo cum venissent, pro
certo divulgabant, nos esse captos per turcos. Sic etiam
dicebant in caeteris civitatibus Italiae, Galliae, et Germaniae.
Hoc autem facientes volebant suam timiditatem palliare cum
diffortuniis nostris. Unde in nonnullis locis fuerunt mihi
celebratae missae de Requiem per Sueviam. Ipsam enim
Sueviam et Bavariam mendaciis illis repleverunt. Interea
prospero cursu Metonam venimus, nec vidimus in mari vel
parvam naviculam, de quo et Metonenses mirabantur. Omnes
enim maritimi timore magno erant perculti. Cum magno autem
serio suadebant nobis theutonici, qui domum ibi habent, ne
ulterius progredi perseveremus, et dicebant nobis multa
terribilia. Nos vero sicut prius ita et nunc nullo terrore
retracti ad iter nostrum perficiendum processimus; et Deo
duce cum pace et sine perterrente Cretam venimus, portumque
Candiae cum gaudio ingressi sumus. Ad nostrum autem
ingressum accurrit quasi tota civitas, videre nos, quia erat
monstruosum, imo miraculosum, jam Christianam Galēam

Ende

Anfang

